

in aliquo subiecto, quia iusunt eidem subiecto alii modi, vel etiam propter alia entia ab eodem subiecto diversa, ut antea demonstravimus. Ergo modi non iusunt nisi praeter essentiam rei aliquid aliud ponatur; hoc autem posito ipsi modi ponuntur; ergo modi sunt necessarii duntaxat sub data conditione, seu hypothetice.

Obji. Si essentiæ, & attributa rerum essent absolute necessaria, immutabilia, & æterna, res dici non possent creari in tempore; absurdum consequens, ergo & antecedens.

Resp. Dist. maj. Si essentiæ rerum, & attributa essent absolute necessaria, immutabilia, & æterna quoad existentiam, res dici non possent creari in tempore, Conc. maj. Si sint tantum absolute necessaria, immutabilia, & æterna quoad possibilitatem intrinsecam, seu meram non repugnantiam. N. M. Itaque sensus questionis hujus non est essentias rerum & attributa necessario, immutabiliter, & ab æterno existere *a parte rei*, & independenter ab intellectu divino; nemo nescit solum Deum existere necessario: sed sic intelligenda est questione, quod scilicet essentiæ & attributa rerum sint necessaria absolute, & intrinsece possibilia, ita ut haec possibilitas seu non repugnantia a voluntate Dei nequam pendeat; quod autem necessario possibile est, non ideo tamen existit necessario: dum autem essentiæ rerum, & attributa dicuntur æterna, sic istud intelligi debet, quod scilicet essentiæ rerum, & attributa non sint entia extra Deum existentia, sed quod